



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XV. Idem (a) Ambianensi Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

cap. ad decimas, de restit. spol. lib. 6. ibi: Nisi evidenter docuerit. Restitit enim illi ius commune, & favet spoliatori; siquidem præsumit, post divisionem parochiarum ad ipsos parochos tantum pertinere. Covarruvias dicto capite 17. num. 6. Barbosa dicto cap. 28. de offic. Parochi, §. 2. num. 43. quæ doctrina procedit in laico possidente decimas virtute privilegii, & à parochio spoliato: sed si ipse spoliatus sit ab alio laico, & intendat interdictum unde vi, ante omnia est restituendus, juxta juris communis regulas, ut docet Menchaca *resist. reg. cap. 89. num. 5.* Etiam proceditur in his causis appellatione remota, cap. tua, 26. hoc titulo. Salgado de regia protectione, 3. p. cap. 2. num. 63. Quæ sententia probatur ex eo, nam in tributis Imperatori solvendis non admittitur appellatio, l. *abstinendum, l. finali, Cod. quorum appellat.* sed decimæ sunt tributa debita Principi caelesti, cap. decime 66. 16. quest. 1. cap. tua, hoc titulo: igitur finaliter in eis appellationi locus non est. Accedit, nam decimæ assignantur parochis pro alimentis, cap. decimas,

vers. sed rardius, 16. quest. 1. sed in causis alimentorum appellatio non admittitur, ut latè probat Salgado *dist. 3. pag. cap. 1.* Igitur nec in causis decimarum appellatio quoad effectum suspensivum admitti valet. Quæ doctrina procedit in casu textus in dicto cap. tua nos, videlicet cum reus, à quo decimæ petuntur, opponit consuetudinem, vel præscriptionem, & condemnatus est; secus verò si agatur cum persona ecclesiastica, quæ intendit jus habere ad decimas; vel si quæstio sit inter duas Ecclesias æqualiter decimas vindicantes; vel si collector decimarum modum excedat; quia ab excessu potest appellari. Exceptis tamen his casibus proceditur appellatione remota, & Judex ecclesiasticus potest incipere à præcepto de solvendo, ut pluribus relatis probat Salgado ubi supra, num. 73. Nec in eo iudicio ulla admittitur compensatio alterius debiti, ne eo prætextu decimarum solutio differatur, ut post Monetam, Rebuffum, & alios resolvit Hunnius in *Encyclop. dicto tit. de decimis, cap. 9. in fine.*

## CAPUT XV.

Idem (a) Ambianensi Episcopo.

**A**D hæc donationem decimæ, quam Abbas sancti S. de (b) Monstrali cuidam loco concessit per successionem tenendam [ quoniam sanctuarium de jure (c) hæreditario possideri non debet ] viribus carere decernas, & laicum [ nisi decimam ipsam ipsi Ecclesiæ liberè resignaverit ] vinculo excommunicationis adstringas.

## NOTÆ.

1. (a) **A**mbian. ] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. p. 50. cap. 28. & in prima collectione, sub hoc tit. cap. 27. ubi additur, pars cap. quoad Sedem, ut cognoscatur in præsentem referri secundam partem textus in cap. 2. infra, de frigid. & malef. De Ambian. Ecclesiæ nonnulla adduxi in cap. 37. de rescript.

(b) *De Monstrali.* ] Monasterium hoc sancti Salucii Monstrolensis est prope urbem Monstrolium in Gallia, Ordinis D. Benedicti, ut referunt Mireus in *sua Gallia*, Chopinus de *sacra polit. lib. 1. tit. 4. num. 17.*

(c) *Hæreditario.* ] Ut latè probavi in cap. 1. de præb. Commentarium hujus textus dabimus infra in cap. prohibemus.

## CAPUT XVI.

Idem (a) Marsilien. Episcopo.

**D**E terris, quæ Judæi colunt, tuæ prudentiæ respondemus, ut eos ad decimas persolvendas vel possessiones penitus renunciandas, cum omni distinctione compellas, ne fortè occasione illâ Ecclesiæ valeant suo jure fraudari.

## NOTÆ.

1. (a) **M**arsilien. ] Ita legitur in prima collectione, sub hoc titulo, cap. 28. ubi additur, pars capituli *Quia super his*: unde deducitur, in præsentem referri secundam partem textus in cap. quia super his, de Judæis. De Marsilien. Ecclesiæ nonnulla notavi in cap. 6. de his quæ vi.

## COMMENTARIUM.

**C**irca obligationem solvendi decimas à Judæis, & vel infidelibus contraria videntur juris testimonia, variæque reperiuntur DD. sententiæ; sed pro vera resolutione, & hujus textus expositione discrimen est constituendum inter decimas personales, & prædiales, personales enim non solvunt, qui baptizati non sunt, cap. ex transmissa, hoc titulo, docent Suarez dicto tract. de decim. cap. 16. m. 4. Fagundez in 5. præcept. Eccles. lib. 2. c. 1. n. 4. Ricciulus

Fff 2 de